



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XI. a Lucius III. Eborac. Archiep. & London. Decan. & Abbati de  
Filien.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

quæ si omnia peccata violaret. D. August. *epist.* 29. Qui in uno, ait, offendit, factus est omnium reus, quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque sit omnium faciendo contra eam, à qua pendent omnia. D. Chrysoſtomus *homil.* 35. ait: Fit omnium reus, quia perdit Dei amicitiam, gratiam, & vitam spiritualem animæ, atque incurrit mortem spiritualem, & reatum gehennæ, perinde atque qui toto corpore armatus, exceptâ unâ parte, in illa lethalem plagam accipit, quæ illum occidit æquè ac si in cæteris omnibus plagam lethalem accepisset. Cornel. à Lapide in *d. epist. D. Jacobi*, refert ex Burgenſi, & aliis S. Jacobi tempore fuiſſe hæreſim Phariſæorum, qui cenſebant unum, aut alterum le-

gis præceptum transgredi non eſſe grave peccatum, quo Deus offenderetur, niſi omnia præcepta, aut potior eorum pars transgredederetur: contra quos aſſerit Apoſtolus, eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, Deique offenſam & iram incurrit, utpote qui tam unum, quàm alterum præceperit; qui enim univerſam legem condidit, ſingula quoque ejus præcepta dedit. Etiam textus hic accipi poteſt de reatu pœnæ damni, quæ reſpondet averſioni, in qua conveniunt omnia peccata, licè non comitentur inter ſe. Tapia *tom. 1. catena mor.* lib. 3, g. 5. art. 5. ubi in fine etiam aliter explicat cum D. Auguſtino *ſerm. 60. de tempore. & epist. 29.* quoad detractiõnem charitatis, quæ eſt plenitudo legis.

## CAPUT X.

*a* Gregorius Ioanni Episcopo Conſtantinop.

Quamvis cauſæ conſideratio me movet ad ſcribendum, tamen & charitās impellit quia & ſemel, & bis ſanctiſſimo fratri meo domno Ioanni ſcripſi, ſed non ejus epistolæ recepi. Alter enim mihi ſæcularis quidam ſub ejus nomine loquebatur; quæ ſi epistolæ ejus fuerint, ego vigilans non fui, qui longè de eo aliter credidi, quàm inveni. De cauſa enim Reverendiſſimi viri Ioannis preſbyteri ſcripſeram, atque de quaſtionibus monachorum Iſauriæ, quorum unus & in ſacerdotio poſitus, in Eccleſia veſtra ſtibus caſus eſt: & reſcripſit mihi, ſicut ex nomine epistolæ agnoſco, ſanctiſſima fraternitas tua, quia neſcierit de qua cauſa ſcriberem. Ad quod ſcriptum vehementer obſtupui, mecum tacitus volvens: ſi verum dicit, quid eſſe deterius poteſt, quàm ut agantur talia contra ſervos Dei, & ipſe neſciat qui præſto eſt? Quæ enim poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves commedit, & paſtor neſcit, &c.

## NOTÆ.

I. *a* Gregorius. Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 1. 4.* & reperitur textus hic in ipſo Regiſtro Epistolarum D. Gregorii, *lib. 2. epist. 52.* ex qua reſtituo præſentem regulam; non tamen integram epistolam tranſcribo, quia verba, quæ ſequuntur, parum aut nihil faciunt ad præſentem regulam, in qua tantùm intendit Gregorius

docere, non excuſari Prælatum proprium prætextu ignorantia, ſi oves pereant, cum regulariter paſtores vigilare debeant, *c. tres, 23. q. 4.* & ideo omnem cuſtodiam præſtant, *l. qui mercedem, ff. locari, ideoque Prælatum ex negligentia teneri, docetur in cap. dictum, 81. diſt.* & in his quæ ad officium ſpectant, teneri Prælatos, & officiales ſeſe diligenter gerere, ex hoc textu, & multis inſtantiis probat Alber. Gentil. *lib. 1. Hiſpan. advocat. cap. 19.*

## CAPUT XI.

*a* Lucius III. Eborac. Archiep. & London. Decan. & Abbati de Filien.

Retulit nobis dil. fil. noſter I. Archidiaconus <sup>b</sup> Ciſtren, quod Episcopus ejus pro eo, quod decanatum; tanquam quem ſibi de jure credit competere, vindicare laborat, ipſi proſus infeſtus, jura ipſius minuere, & quæ ad Archidiaconatum de conſuetudine, & de jure ſpectare noſcuntur, turbare, & ſubtrahere poſt appellationem ad Sedem Apoſtolicam factam non deſiſtit. Præterea homagium, & fidelitatem novam ab eo pro ſua requirit voluntate. Volentes itaque patientiæ, & juſtitia ipſius Archidiaconi paterna dilectione providere, d. v. per A. f. m. quat. in quaſita diligentius veritate, ſi eum prædeceſſori Episcopo, & ſucceſſoribus ejus fidelitatem juraffe conſiterit, jam dictum Episcopum ex parte noſtra moneatis, & Eccleſiaſtica cenſurâ nullius ap. ob. auctoritate noſtrâ cogatis, ut jura Archidiaconatus integrè poſſidere ſine contradictione, & ap. ceſſi, permittat, & ab exactione homagii, & fidelitatis omnino deſiſtat: indignum ſiquidem eſt, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere homagium quifquam compellatur.

## NOTÆ.

I. *a* Lucius III. Ita legitur in hac ſexta collectione, in prima autem, ubi *ſub hoc tit. cap. penult.* reperitur præſens textus, nulla inſcriptio ponitur, eam tamen, & integram literam reſtituo

ex cap. 2. de exceſſib. Prælat. in 2. collect.

<sup>b</sup> Ciſtren.] De Ciſtrenſi, ſeu Ciceltrenſi Angliæ Eccleſia egi in cap. 2. de corpore viſit.

<sup>c</sup> Facere homagium.] Textum hunc expoſui in cap. ex diligenti, de ſimonia, cap. 2. de jurejur.